

Animadversiones de febre petechiali.

Contributors

Conradi, Johann Wilhelm Heinrich, 1780-1861.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Heidelbergae : Mohr et Winter, [1818]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cu62xbsw>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

SACRA NATALICIA
DIVI CAROLI FRIDERICI

MAGNI DUCIS BADARUM ETC.

DIE XXII. NOVEMBRIS MDCCCXVIII.

AB ACADEMIA HEIDELBERGENSI

RITE PIEQUE CELEBRATA

SIMULQUE PRAEMIA

COMMISSIONIBUS VICTRICIBUS DECRETA

NOVASQUE QUAESTIONES PROPOSITAS,

RENUNTIAT

JO. GUIL. HENR. CONRADI

MEDIC. DOCT. ET PROF. P. O. MAGNO DUCI BAD. A CONSILIIS AULAE

ACADEMIAE H. T. PRORECTOR.

INSUNT

ANIMADVERSIONES DE FEBRE PETECHIALI.

HEIDELBERGAE,
APUD MOHR ET WINTER.

Quam CULLENII, MACBRIDII, JOUBERTI, BENIGII alii-
que dixerunt sententiam, petechias nonnisi secundarias, tan-
quam aliorum morborum et speciatim febrium nervosarum
vel putridarum symptomata, esse, eandem plurimis adhuc
recentiorum medicorum probari eo magis miror, quo accu-
ratius mihi jam a BURSERIO*), gravissimo hujus morbi scrip-
tore, demonstratum esse videtur, primarias petechias re vera
esse, negarique eas minime posse.

Argumenta autem praecipua, quibus hic usus est, ut
ostenderet, petechias primarias esse, haec fere sunt: I. in-
quit, petechias, quando epidemice aliquo in loco increbres-

*) Institution. medic. pract. Vol. II, §. CCCIX sqq.

cant, non raro solitarias et sine febre aut alio morbo, a quo pendere queant, vagari solere, atque interdum aliquando prius, quam febris accedat, erumpere. II. morbum istum natura sua ad cutim contendere, non secus atque alios vere exanthematicos, sic ut citius vel serius in ea sese prodatur, neque ulla interdum arte impediri, quo minus cutim petat. III. febrem, quam sibi petechiae adjungant, variam et multiplicem esse. IV. petechias, praeterquam, quod in omnibus aut certe plurimis aegrotis prodeant, maturius etiam in singulis, plerumque videlicet circa quartum diem, interdum quoque citius, se exserere, rarissime, et vix unquam, nisi anomaliae fuerint, ultra septimum erumpere cunctari, secundarias et symptomáticas contra multo rarius paucioribusque in aegrotis, imo serius admodum et morbo ut plurimum pro vectiore jamque ad finem vergente apparere; postremo petechiarum eruptionem facilem, regularem, perfectam plerumque, in benigno videlicet morbo, bonum eventum sortiri, contra difficilem, imperfectam, anomalam, aut seram nimis earum apparitionem, aut praepropere evanescentem, aut earum defectum, regressumque ante debitam morbi fomitis expirationem funestissimis symptomatibus causam praebere, idque sane de petechiis symptomatice affirmari non posse; praeterea etiam certa petechiis istis stadia percurrenda esse atque ultra ea morbum, ubi simplex, purus et regularis sit, non nisi rarissime produci. Ego vero non solum rationum

momentis, quibus BURNERIUS usus est, adducor, ut primarias petechias esse credam, sed ipse et hoc anno et proxime praeterlapso petechias hic grassantes vidi, quae primariis exanthematibus simillimae essent; de quarum indole et cura deinde pauca in medium proferre constitui.

Alii contra non solum petechias primarias in rerum natura esse putant, sed vel ipsum typhum contagiosum pro febre petechiali habendum esse contendunt. Haec sententia novissimo tempore praecipue a Cl. HIMLYO*) ejusque discipulis WEDEMEYERO**) et BECKERO***) pronuntiata est. Quin et BECKERUS†) febres biliosas a TISSOTO egregie descriptas et alias huc referre non dubitavit.

Equidem non negaverim febres, quas plures medicorum nervosas ex contagio esse putant, et quibus nomen typhi contagiosi imponunt, saepe re vera petechiales esse. Neutiquam vero concedere possum, typhum contagiosum et febre petechialem unum eundemque morbum esse. Nam etsi petechiae typho contagioso non raro superveniant,

*) Cf. HUFELANDS Journ. d. pract. Heilk. 1815. St. X. p. 40 sqq.

**) Diss. de febre petechiali, Gotting. 1812. 4.

***) Ueber die Erkenntniss und Heilung des Petechialfiebers, Götting. 1814. 8.

†) L. c. p. 19, 33 sqq.

non tamen perpetuo in hoc apparent, sed saepe potius alia exanthemata, et quidem praeter illud exanthema, quod ex b. HILDENBRANDII*) sententia typhi proprium est, inprimis miliaria etc. Deinde hoc maxime considerandum mihi esse videtur, verum typhum contagiosum semper morbum graviores esse et, etiamsi initio inflammatoriae indolis fuerit, quod saepe ita se habet, tamen senioribus stadiis in febrem nervosam abire; febrem contra petechialem, etsi saepe typho contagioso similem, aequae gravem et malignum, non raro tamen et mitiorem, benignum et neutiquam nervosam indolem exhibentem, neque pariter contagiosum morbum esse.

Ceterum qui typhum contagiosum pro febre petechiali habendum putant, iidem in eum errorem inducti sunt, ut scripta, in quibus de typho contagioso agitur, ad febrem petechialem referrent. Ita Cl. HIMLYUS, WEDEMAYERUS et BECKERUS praesertim b. HILDENBRANDIUM in praecipuorum scriptorum, qui ex professo de febre petechiali egerint, numero retulerunt, etsi hic exanthema typhosum a petechiis distinxerit, has vero ad exanthemata symptomata referenda esse et plerumque tantummodo exanthemati typhoso velut exanthema parasiticum sociari contenderit, easque igitur in libro suo clarissimo de typho contagioso duntaxat obiter,

*) Ueber den ansteckenden Typhus, 2te Aufl. p. 50. sqq.

quatenus symptomata typhi sint, consideraverit, neutiquam vero primarias petechias agnoverit*)

Jam febrem petechialem hic grassatam quod adtinet, ea sub finem aestatis anni 1817 coepit gliscere, frequentior in ea urbis parte, quae Nicro fluvio alluitur et ab hoc mense Majo illius anni pluviis immodicis maxime aucto inundationem passa erat. Etiam aestate illius anni coelum apprimè nebulosum, pluvium et saepe ventosum, minus vero calidum fuit. Subsecuta autem est hyems minus frigida et initio quidem sereno coelo insignis, mense Februario et Martio vero valde pluviosa, in qua quoque morbi inflammatorii

*) Cum Hildenbrandio convenit Cl. REUSSII (Wesen der Exantheme. 1. Th. Das Fleckenfieber oder die Kriegspest, p. 36 sqq.), qui Typho contagioso nomen febris maculosae imposuit, et utrumque secutus est Cl. RAIMANNUS (Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie, B. 2. p. 17 sqq. et p. 63 sqq.). REUSSII vero vel in eo lapsus est, quod STRACKII descriptionem petechiarum verarum ad typhum contagiosum retulit (p. 39 sqq.). Ipse quidem STRACKIUM potius a vero aberasse putat, dicens: „STRACK wechselt auffallend das eigentliche Exanthem dieser Krankheit mit den Peteschen, einem bloß zufälligen, symptomatischen Hautausschlage. Seine begrenzten (circumscribtae) Flecken sind offenbar nur Peteschen, und nur bey

solito minus frequentes et graves erant, ita ut speciatim peripneumoniae rarae essent atque ad earundem curam una et non larga venaesectio sufficeret, dum contra frequentiores essent febres catarrhales, quae facile in nervosas abirent. Verum febris petechialis non solum sub illa aeris constitutione urbem nostram infestavit, sed et sequentibus anni temporibus, licet eorum constitutio mutata et universe praecalida et siccissima fuerit, hucusque perstitit, quod et in aliis epidemiis observatum esse notum est. Nonnunquam et contagio in eos, qui diutius cum aegrotis versarentur, propagari visa est.

Incipiebat vero morbus a lassitudine, laborum taedio,

„diesen ist die Krankheit gefährlich und bösartig; seine zerstreuten (diffusae) Flecken sind dagegen das dieser Krankheit eigne Haut-Exanthem. Sie sind an und für sich nicht mehr und nicht weniger gefährlich, als es die Krankheit selbst ist.“ Sed vehementer fallitur in utraque adsertione. Nam utique verae et primariae petechiae discretiae et circumscriptae esse solent atque hae ipsae non raro mitiores sunt; cum contra diffusae rariores sint et potius ad secundarias et symptomáticas pertineant atque jure magis exitiosae habeantur, quod non solum STRACKIO, sed etiam BURSERIO l. c. §. CCCXLI. et mihi quoque experientia comprobavit. Conf, quae infra de prognosi in febre petechiali dicuntur.

moerore, capitis gravitate aut dolore, temulentia, vertigine, somno turbulento vel vigiliis, doloribus membrorum rheumaticis similibus et vel coryza, tussi aliisque symptomatibus catarrhalibus, vel nausea, vomitu, alvi obstructione sive diarrhoea et aliis gastricis symptomatibus, urina modo lymphida, modo turbida etc., quibus consueta febris symptomata, ut plurimum tamen lenia, etsi versus noctem paululum ingravescencia, accedebant. Plerumque circa quartum diem, interdum serius, petechiae erumpebant, nonnunquam cum symptomatum levamine, saepe vero sine hoc, vel adeo cum illorum exacerbatione.

Petechiae vero exhibebant maculas praecipue in collo, pectore, brachiis etc. apparentes et punctulis minutis, seminibus papaveris vel milii similes, plerumque rubras vel roseas, cutis superficiem non excedentes, neque pressione evanescentes; rarissime singulae aliquantum exstantes sive prominentes et quasi pustulas rosei coloris sistentes reliquis interspersae erant. Majores vero maculas, quales petechiae symptomaticae formare solent et quae recte pro ecchymosis habentur, tantum in nonnullis aegrotis vidi, quorum morbus ab initio neglectus aut male tractatus ad putridam indolem versus esset. Ceterum petechiae post aliquot dies pallescebant; saepe tamen nova earum eruptio secuta est.

Circa septimum aut nonum diem ipsa quidem febris plerumque valde minuta est, aut, prorsus deferbuit,

ut adeo pulsus tardior quam in statu naturali et debilis esset; saepe vero aut gravitas capitis, vertigo, susurrus aurium, delirium et lassitudo invalescebant, atque, ut paucis complectar, morbus ad febris nervosae lentae, plerumque tamen mitioris, speciem prope accedebat, aut, si illa symptomata nervosa non accedebant, major certe virium languor comparuit, quam qui post febrem acutam simplicem, vel catarrhalem et rheumaticam superesse solet. In aliis longe mitior erat morbus et vel septimo aut nono die, nullis symptomatibus nervosis cum illo consociatis, in secundam valetudinem conversus et praecipue sudoribus judicatus est. Quin nonnunquam adeo mitis erat morbus, ut aegri petechiis conspersi ne lecto quidem affigerentur, sed incedere et negotia sua obire possent, quod et in aliis epidemiis observatum esse legimus. Curatrix quaedam aegrorum, quae initio hujus epidemiae febre perechiali laboraverat, postea identidem a petechiis sine febre occupata est, quarum eruptionem anxietas, respirandi difficultas et alia symptomata praecesserunt, a quibus vero eruptione perfecta ita liberata est, ut nonnisi lassitudinis sensus superesset. Ubi vero ab initio neglecta vel praepostere, imprimis purgantibus aut calefacientibus, curata fuerat, gravioribus febris nervosae vel putridae symptomatibus, et praesertim quoque alvi fluxu immodico vires exhauriente stipata, incessit atque adeo aegrum praecipitavit.

Plures et praestantissimi recentiorum febris petechialis scriptorum *) statuerunt, gastricam esse praecipue illius indolem eamque a primarum viarum cacochyliam originem ducere. Hanc vero sententiam vel historia priorum epidemiarum febris petechialis, cujus naturam jam PETRUS A CASTRO **) inconstantem et incertam judicavit, non omnino confirmari crediderim ***). Verum et nostrae febris petechialis

*) Cf. praecipue RICHTERI medic. und chirurg. Bemerk. B. 2. Capit. 11. Vom Fleckfieber, p. 135., ubi dixit: „Der Hauptcharakter des Fleckfiebers ist gastrisch; die Hauptmittel, die das Fleckfieber erfordert, sind Brech- und Purgirmittel. Diefes behaupte ich kraft vieler Erfahrung, unterstützt durch das Ansehen erfahrner Aerzte.“ Auctores vero hanc sententiam tuentes citavit praecipue STRACKIUM, STOLLIUM, BUCHHOLZIUM et QUARINUM. Non tamen plane negavit, morbum hunc aliam formam induere posse, addens p. 136: „Ich sage nichts, als was ich gesehen habe, was ich sehr oft und mit Aufmerksamkeit gesehen habe, und dagegen findet kein Widerspruch statt. Mögen andre die Krankheit in einer andern Gestalt gesehen haben; dagegen habe ich nichts zu erinnern. Die Natur ist mannigfaltig.“

**) De febre maligna punctulari, sect. I. aphor. I.

***) Conf. quae de varia et multiplici febris petechialis indole, de variis eius causis et speciatione origine ex saburra gastrica BURSERIUS exposuit l. c. §. CCCXII., CCCXLV sqq. et CCCXLVIII.

constitutionis accurata observatio mihi probavit, illam sententiam vel idoneis argumentis destitui vel certe ad plura, quam par sit, exempla tractam esse. Neque enim in hac constitutione ulla signa gastricae cacoehyliae comparuere, neque in ejus curatione opus erat purgantibus, quae potius noxia comperta sunt.

Cl. KREYSIGIO *) causa primaria febris petechialis, sicut morbi maculosi haemorrhagici Werlhofii et scorbuti a statu abnormi vitalitatis systematis venosi pendere videtur, quam sententiam et ipse Cl. PUCHELT **) amplexus est, etsi hic concedat ***), petechias cum febre synocha conjunctas ab affectione arteriarum originem ducere posse. Ille vero contendit, tribus his morbis haec symptomata communia esse: sanguinem nempe e vasis sub epidermidem effundi, magnam ad haemorrhagias proclivitatem esse, aegrosque magni languoris sensum habere. Sed haec potius ad symptomáticas et in febribus putridis apparentes quam ad primarias petechias spectant. Ipse etiam Cl. KREYSIGIUS professus est, eos valde errare, qui causam primariam febris petechialis in dissolu-

*) Die Krankheiten des Herzens, Th. I. p. 174. sqq.

**) Das Venensystem, p. 322. sqq.

***) L. c. p. 56.

tionem sanguinis et magna totius corporis debilitate positam esse opinentur, illam potius ad propriam affectionem venarum posse referri. Neque negat, febrem petechialem initio plus minus inflammatoriae indolis esse atque magnum malo praesidium esse posse in venaesectione. Causam vero horum morborum non in systemate arterioso positam esse absentia eorum symptomatum, quae affectionem arteriarum, comitari soleant, probari contendit; multis contra phaenomenis affectionem systematis venosi demonstrari. Sanguinem scilicet et sub epidermide stagnantem, et per os et nares effluentem nigricantem minusque concrecentem, sive venosum esse; fluxum sanguinis sine ulla mutatione vis systematis arteriosi fieri; sanguinem quidem copiosum e. g. per os et nares profundi, verumtamen duntaxat stillatim, non rivis prodire. At vero haec omnia, quanquam in morbo maculoso et petechiis symptomaticis ita se habere lubens concedam, haudquaquam tamen ad petechias primarias referenda duco, quarum quippe color ruber et roseus sit et quibuscum nullus sanguinis fluxus conjunctus esse soleat. Sicut vero argumentis a Cl. KREYSIGIO allatis mihi non persuasum est, causam febris petechialis praecipue in affectione systematis venosi positam esse, ita neque rationem illius affectionis illustratam esse video. Equidem potius crediderim, fomitem petechialem, qualiscunque ejus indoles sit, saltem non solis venis, sed praecipue quoque irritabilitati cordis et arteria-

rum, quae in omni febre excitata est, nec minus vasis capillaribus cutis stimulum inferre.

De prognosi in febre petechiali recentissimus hujus morbi scriptor, Cl. PERCIVALIUS *) statuit, ad eam accuratius formandam facere potissimum hanc distinctionem, nemini hucusque cognitam notatamque. Eas nempe petechias, quae in junioribus hominibus ante quartum aut quintum febris diem appareant, duobus aut tribus fere diebus aere frigidiusculo, lotione aquae frigidae et alvi purgatione fugari, neque easdem, quantum ipse observaverit, periculum adferre. Eas contra, quae seriori stadio, vel sub crisin febris, posteaquam necessaria evacuantia remedia adhibita fuerint, calorque corporis modum paulo excederit, in conspectum venirent, periculosas esse. Sed hoc discrimen neque plane novum, neque ad certam prognosin firmandam semper idoneum judicandum est. Primum enim dudum ab aliis **) animadversum est, primarias petechias (ad quas prima species PERCIVALII referenda est) maturius, circa quartum plerumque diem, interdum quoque citius, erumpere, easque saepe benignas esse; secundarias et symptomatonicas (ad quas secunda species PERCIVALII pertinet), serius et morbo ut plurimum proVectiore, sive ad finem ver-

*) Account of an epidemic petechial febricula, in the Dublin Hospital Reports and Communications in Medicine and Surgery. Vol. 1. p. 213 sqq.

**) Conf. BURSERIUS, l. c. §. CCCXII, CCCXXIV.

gente, aut ad interitum properante, apparere, et in iis praecipue aegrotis, quorum sanguis regimine et medicamentis calidioribus praepostere et vehementer concitatus aut ita depravatus sit, ut ferme putrefiat. Deinde vero nec primarias aut maturius erumpentes semper periculo vacare compertum est; sed potius praematurae nonnunquam valde exitiosae a ROBORETO *) aliisque observatae sunt **). Non ergo, ut jam recte monuit BURSERIUS ***), solum eruptionis tempus, sed alia nec minus simul attendi debent, ut prognosis fausta, aut infausta eliciatur.

Cura febris petechialis, quod jam alio loco exposui†), ad curandi rationem generatim exanthematibus convenientem accommodanda est. Nonnunquam, ubi nempe morbus benignus, regularis et simplex est, res vel naturae omnino committi potest. Inflammatoria febris in primo stadio indoles methodum antiphlogisticam indicat. In universum tamen non adeo vehemens est, ut sanguinis missionem (quae tamen in magna inflammatoria diathesi, plethora etc. omitti non debet) exigat, sed vel in gravioribus symptomatibus capitis aut pectoris tutius sanguis per hirudines vel cucurbi-

*) De peticul. febre ann. 1591. Tridenti publ. vagant. cap. XII.

**) Conf. BURSERIUS l. c. §. CCCLI.

***) L. c. §. CCCLI.

†) Grundrifs der besonderen Pathologie und Therapie, B. I. §. 658.

tulas scarificatas detrahatur. Ut plurimum vero leniora antiphlogistica conveniunt, atque a fortioribus eo magis abstinendum, vel saltem cautissime et parcissime iis utendum est, quo facilius vires vitae in hoc morbo dejiciuntur vel adeo febris in nervosam mutari potest. Itaque in nostra constitutione plurimis utilissima visa sunt mixtura temperans ex sale tartari cum aceto vini s. succo citri saturato, aqua fontana s. rubi idaei et oxymelle simplici s. syrupo rubi idaei, vel decoctum althaeae cum oxymelle simplici, sive, praesertim morbo paullulum provecto, sale ammoniaco aut spiritu Mindereri, quibus potus refrigerantes, demulcentes et victus tenuis jungebantur. Quin haec remedia, sicubi mitior esset mali vis, ad ejusdem curam absolvendam sufficiebant. Ubi vero circa septimum aut nonum diem morbus febris nervosae speciem prae se ferebat*), tum, praesertim sensibilitate aucta aut ataxia nervorum cum debilitate juncta, praestantissimum auxilium offerebant valeriana, aut si malum gravius esset, camphora, vi sensifera vero torpente flores arnicae et alia excitantia, sicut extrinsecus vesicantia, atque universim curae febris nervosae convenientia remedia. Sin vero duntaxat virium languor supererat, methodus roborans vario debilitatis gradui accomodata ad curam absolvendam idonea erat.

*) Vide supra p. 8.

Ceterum emetica et purgantia ut remedia primaria febris petechialis post STRACKIUM inprimis b. RICHTERUM praedicasse, jam supra *) memoratum est, atque nuperrime etiam cathartica laudarunt Viri illustres et experientissimi KREYSIGIUS **) et PERCIVALIUS. Addidit vero RICHTERUS ***), se, sicubi emetica et purgantia ut remedia primaria febris petechialis praedicaverit, non nisi febrem petechialem simplicem spectare, atque ad ejus curationem praeter emetica et cathartica medicamentis opus non esse, in febre contra petechiali putrida, nervosa et inflammatoria sola evacuantia non sufficere, sed et alia remedia, quae varia febris indole indicantur, sine purgantibus ad morbum tollendum non valere. Sicut vero ad sententiam, febris petechialis indolem praecipue gastricam esse, accedere non poteram (cf. p. 9 — 10.), ita neque concedere possum, purgantia semper et ubique in hoc morbo locum habere. Sordibus re vera febrem petechialem gignentibus aut comitantibus et alentibus utique indicantur; sed in febre petechiali simplici illa non modo non necessaria, sed etiam saepe noxia esse, jam loco supra laudato †) a

*) P. 9 — 10.

**) L. c. Th. I. p. 180.

***) L. c. p. 137.

†) Grundriss der besonderen Pathologie und Therapie, B. I, §. 657.

me dictum, atque nuperis meis observationibus confirmatum est*). Nam cum in nostra constitutione generatim signa saburrae gastricae deessent, neque ulla evacuantium indicatio urgere videretur, cumque observassem, emetica et purgantia ab aliis initio morbi adhibita morbum neutiquam levasse, sed potius pejorem fecisse, atque praesertim quoque diarrhoeam supervenientem exitiosam fuisse, tutius mihi visum est ab illis plane abstinere. Atque vel absque illis curationem febris petechialis simplicis optime absolvi posse vidi et mea leniori et simplicissima medendi ratione omnes illa laborantes, dummodo ab initio nec neglecti nec praepostere curati essent, ad secundae valetudinis usum perduxi.

Praeterea hic speciatim mentio facienda est mercurii dulcis, cui in remediis febris petechialis primum locum tribuit Cl. HIMLYUS**). Ex ejus vero sententia non solum ad alvum aperiendam idoneus est, sed multis aliis virtutibus in hoc morbo commendatur. Morbum scilicet putat ut plurimum per contagium gigni et periculosus affectionibus hepatis praecipue sive capitis, aut inflammationibus lentis viscerum sociari, atque ad ea debellanda illud medicamentum maximam vim habere, ideoque se plurimis aegrorum

*) Conf. supra p. 9—10.

**) L. c. p. 55.

praeter illud nulla medicamenta aut seriori stadio tantum non nisi ad apotherapiam flores arnicae praebere. Eandem laudem illi tribuunt Cl. WEDEMEYERUS et BECKERUS, quorum hic*) adeo contendit, illius vim ad tollendam febrem petechialem fere aequae specificae esse atque eam, quam cortex Peruvianus adversus febrem intermittentem exserat. Quae laus mihi quidem nimia esse videtur. Nam etsi libentissime concedo, mercurium dulcem in petechiis sicut in aliis exanthematicis morbis non raro magno usui esse, tamen nondum compertum minimeque dubium mihi esse videtur, illum pro remedio primario vel adeo specifico febris petechialis habendum esse. Equidem et sine illo curationem feliciter perfici posse ex observationibus et antiquioribus et meis compertissimum habeo. Neque semper eum ad hunc morbum debellandum aptum esse credo. In ejus enim initio, ubi febris vehementius exardeat aut inflammatoria diathesis praevaleat, potius refrigerantia antiphlogistica indicantur, cum mercurius dulcis orgasmum sanguinis neutiquam compescat atque vel in inflammationibus locum non habeat, dum impetus vehementissimus perseverat, sed eo demum per sanguinis missionem et alia vere antiphlogistica remedia mitigato. Quod vero illius vim purgantem adtinet, eadem, quae de laxantium usu in febre petechiali generatim dixi, huc

*) L. c. p. 204.

pertinent, et si quando laxantia indicantur, tum non solum mercurium dulcem nobis superesse, sed praecipue quoque salia media, tamarindos etc. plurimum proficere, jamdudum experientia docuit.

Praeterea non praetermittendum est, Cl. Himlyum ejusque discipulos typhum contagiosum et febrem petechialem pro uno eodemque morbo habere, pluraque, quae ille de indicantibus mercurii dulcis dicit, ad febris petechialis rationem saepe referri non posse.

Sed ne longior fiam, quam in ejusmodi commentationibus academicis consuetudo ferat, plura, quae de petechiis mihi dicenda superessent, in aliud tempus rejicio.

Jam vero ad ea progredior, quae mihi haec qualiacunque prooemii loco disputandi occasionem dederunt, nempe ad illius diei solennia, quo Restitutoris academiae nostrae memoriam pie celebrare, atque praemia Ejus munificentia constituta et iis, qui in certamine literario victoriam reportaverint, ab academiae Ordinibus decreta promulgare novasque quaestiones proponere solemus. Piae autem recordationi beneficiorum a Divo PRINCIPE in nos collatorum eorum gratissima commemoratio juncta est, quae Illius OPTIMUS NEPOS, cujus pietas illum ipsum diem posthac quoque notabilem esse voluerat, hoc, qui vertebatur, anno plurima et maxime insignia in nos contulit. Ex quorum numero summum locum occupant ea, quibus Institutis physico-medicis prospectum fuit. Nam primum Instituto medico-clinico, cujus fundamenta jacere ac laeta continuo auguria capere mihi

ipsi tribus abhinc annis contigerat*), chirurgicum, cui collega experientissimus CHELIUS magna cum laude praeest, additum et utrique Instituto aedificium novum, amplum et splendidum, Principis nostri clementissimi liberalitati eorum, qui civitati nostrae administrandae praesunt, civiumque animo propenso et obsequioso congruente, adsignatum est, in cujus parte ea, quae commodè a reliqua separari poterat, etiam Institutum ad artem obstetriciam spectans egregie collocatum est. Illud vero insigne aedificium, quod antea tria haec Instituta continuerat, quodque contiguum est et Theatro anatomico splendidissimo, et alteri hortorum botanicorum, cujus hypocaustum plantarum non ita pridem valde amplificatum et emendatum est, locum maxime aptum praebuit his Museis, mineralogico, zoologico, physico et technologico, nec minus Laboratorio chemico. Specula item astronomica tecto illius aedificii superstructa est. Denique Physices et Chemiae Professorum commodis hactenus egregie consultum est, ut, quo expeditam haberent observandi et experimenta instituendi opportunitatem, privata etiam sua domicilia in eodem aedificio parata nanciscerentur. Praeterea quoque redditus annui plurimum Institutorum, physici, chemici et anatomici,

*) Conf., quae de illo dixi in programmate: Ueber das medicinisch-klinische Institut in dem akademischen Hospitale zu Heidelberg. Heidelb. 1817. 8. et in Annal. nostr. literar. 1817. Intelligenzblatt Nr. IV.

insigniter aucti sunt. Hac igitur ratione Institutis physici aequae ac medicis provisae jam nostrae universitati Ἀσκληπιδίου perfectum est, quod in numero splendidiorum merito haberi debet.

Neque vero in solis physicis et medicis Institutis vel fundandis vel augendis sese continuit Sospitatoris academiae nostrae augustissimi munificentia et Virorum summorum, qui res nostras curant, singularis liberalitas, sed latius evagata alia quoque emolumenta et ornamenta adjecit. Bibliotheca primum, extraordinaria assignatione mille et ducentorum florenorum concessa, opere amplissimo, praestantissimo, diu hic desiderato, scilicet Actis societatis scientiarum Londinensis, quae Philosophical Transactions inscribuntur, locupletata est. Deinde Seminariis binis, paedagogico et philologico, quae moderantibus collegis celeberrimis SCHWARZIO et CREUZERO, laetissime effloruerunt, sui cuique redditus largiores assignati, iisque bina nova addita sunt, orientale simulque exegetico-biblicum et theologico-homileticum, quorum cura Viris summe reverendis demandata est, ita ut illud PAULUS et WINERUS moderarentur, hoc ABEGGIUS. E Professorum numero neminem, praeter CL. HEGELIUM, Berolinum ad ornandam Philosophiae cathedram hinc avocatum, amisimus, et plures contra ad externos invitati conditiones lautissimas recusarunt, almam Scholam Heidelbergensem laetissime florentem aliis praeferentes. Additi

vero sunt Ordini Theologorum ABEGGIUS et WINERUS, qui semestri proximo scholas suas hic aperiet, Philosophorum DE LEONHARD et HILLEBRANDIUS. Eorum quoque numerus, qui privatim literas docent, valde auctus est, et quidem accessere Ordini Jurisconsultorum WALTERUS et ZIMMERN, Medicorum DIERBACHIUS, Philosophorum GEIGERUS, FEDERUS, DE KEYSERLINGK et KLINDWORTHIUS. Collegis celeberrimis, THIBAUTIO, ZACHARIAE, GENSLERO, CREUZERO et MUNCKIO novos honores in eos collatos, pluribus aliis salaria tum recens assignata tum aucta gratulati sumus. Civium praeterea academicorum numerum hoc anno ad sexcentos amplius excrescere vidimus, atque, quod pluris aestimandum, plerosque eorum et morum integritate et studiorum amore atque consuetudine insignes.

Sed hoc maxime insigne gratiae clementissimi Principis documentum anno praeterlapso accessit, ut non solum auctis et emendatis rebus nostris gaudere, sed et confirmatis secunda omnia et laeta augurari possimus. Nam cum Ille novissimis temporibus universae patriae literis pari et liberalitate et sapientia consignatis providerit, nova simul et amplissima ornamenta et emolumenta nostrae universitati tribuit, ut non solum legato universitatis in comitiis locus inter Optimates adsignaretur, sed et redditibus, qui anno praeterito insigniter aucti erant, caveretur, ne in posterum deminui possint. Atque ita Avi, Divi CAROLI

FRIDERICI, exemplo gloriosissimo rebus nostris sospitator adfuit munificentissimus.

Verum, ut sunt humana, gaudia nostra, quae tot tantisque beneficiis cumulata fuerant, repentino metu turbata sunt, cum certiores facti fuisset, Optimum Principem, a quo illa tam largiter in nos redundaverant, morbo gravissimo laborare. Neque, proh dolor! metus noster vanus fuit, sed paulo post, hisce solennibus vixdum peractis et novis votis pro Illius salute nuncupatis, immatura morte Eo orbatu atque hoc casu gravissimo acerbissime affecti sumus. At Illum quidem vinculis corporis saeviente morbo confecti relaxatum jamque, ut confidimus, ad illud divinum animorum concilium coetumque profectum pio debitoque cultu prosequimur, atque Ejus memoriam perpetuam gratissimo animo conservamus. Nostris autem rebus tanta, quam fecimus, jactura afflictis, haec spes nobis affulget animosque erigit et confirmat, Successorem Imperii dignissimum, virtutum et laudum Divi Patris aemulum, huic literarum sedi antiquissimae, a Divo Patre splendidissime instauratae atque a Fratris Sui Filio dilectissimo multis ornamentis auctae, non defuturum, sed potius quaecunque inchoata atque imperfecta manserint, perfecturum esse.

Quod vero commentationes, quibus quaestionibus anno praterlapso propositis responsum est, ordinumque de iis iudicia adtinet, haec sunt:

Theologorum Ordo postulaverat:

ut explicaretur doctrina christiana de origine, indole et pernicie mendacii.

Huic quaestioni a nemine responsum est.

Jureconsultorum Ordo desideraverat:

ut exponerentur praecepta juris Romani de testamento et de divisione parentum inter liberos.

Oblatae ei sunt duae commentationes, altera inscripta verbis hisce: *Jurisconsulti est legibus interpretandis maximam dare operam*, altera versa Tibulli: *Audendum est, fortes adjuvat ipse deus*. Uterque libellus, quamvis quod ad regulas Grammatices, ad Latinitatem sermonis et ad elegantiam dictionis attinet, omni vituperatione major censi non possit, tamen Ordini haud displicuit, quippe quum ingenii et juris scientiae haud vulgaris documenta uterque prae se ferret. Quum vero prioris commentatiunculae auctor quaedam, quae ad argumentum propositum pertinebant, plane non examinauerit et nonnulla aperte falsa veris miscuerit; secunda vero dissertatio cum doctrinae copia, tum eorum, quae summam rei constituunt eamque tangunt, sollertissima et accuratissima enucleatione et interpretatione conspicua sit, ordo non dubitavit, quin hujus commentationis auctori, ei juveni,

cui symbolum fuit: *audendum est, fortes adjuvat ipse deus*, palmam optime meritam tribueret; alterum tamen dignum iudicaret, cui laudes publice tribuerentur.

Soluta involucro victoris nomen comparuit:

MATTHIAS JOSEPHUS EULER,

JULIACENSIS.

Alter autem juvenis, cui laudis praemium Ordo Jureconsultorum decrevit, nomen suum non est professus.

Medicorum Ordo postulaverat:

ut vera metastaseos natura explicaretur variaeque de ea sententiae dijudicaretur.

Oblata est Ordini una solummodo commentatio, inscripta verbis Hippocratis: Ὁ καλὸς ὄξυς, ἢ δὲ κρείσσις χαλεπή. Auctor ejus magna diligentia et haud vulgari eruditione veterum et recentiorum medicorum sententias de hoc argumento collegit et rectum de iis iudicium tulit, neque minus ea, quae ad illustrandam metastaseos naturam protulit, sanae physiologiae rationibus conveniunt. Quae vero ab Ordine desiderantur, haec sunt: auctorem non eam, quam par esset, rationem habuisse recentiorum quarundam de metastaseos natura sententiarum, praesertim earum, quae ab Ill. Hufelandio, Reilio aliisque dictae sunt, neque suam de metastasi sententiam pluribus observationum exemplis illustrasse. Sed cum ea, quae minus probari possunt, ab iis, quae laude digna visa sunt, superentur, cunque omnino hoc spe-

cimen auctoris solertiam et studia insignia declaret, Ordo illum lignum judicavit, qui praemio constituto ornaretur.

Schedula resignata auctor renuntiatus est:

ALEXANDER PAGENSTECHER,

HERBORNENSIS.

Proposuerat Philosophorum Ordo disceptare volentibus hanc quaestionem:

An Aristoteles revera ita a Platone dissentiat, ut ideas a sensibus originem ducere statuatur.

Quae res eo spectabat, ut philosophiae veteris literarumque studiosi utriusque philosophi libros insigniores probe excuterent atque ex his ipsis, diligenter inter se collatis, neque vero aliunde, iudicium ipsi suum in hac causa primaria suspensum facerent. Erat proinde ea quaestio unice desumpta ex historia philosophiae, et quidem veteris. Elaborandum erat in legitima interpretatione locorum classicorum Platonici Parmenidis et consimilium dialogorum, in Aristotelis libris de Anima et Metaphysicis; ac sicubi res ferre videbatur, erat nec minus critica factitanda, quo vera germanaque philosophorum, quos diximus, sententia in clara luce collocaretur. Neque vero illud erat faciendum, ut ad nostrae aetatis philosophorum placita tamquam ad amussim normamque inprimis revocarentur antiquorum placita philosophorum.

Quod consilium cum neuter eorum, qui commissiones exhibuerunt Ordini, satis reputasse videretur, factum est, ut uterque magnis ceteroquin ausis excideret.

Decertarunt enim in hac area duo Commilitones; ac cum laude decertarunt. Verum tamen utervis tanto certamine inferior apparet ab ea parte, quam supra attigimus. Neuter tantum operae impendisse videtur antiquae philosophiae e suis fontibus repetendae, quam ejusdem ad recentiorum, qui in paucis clarent, philosophorum rationem redigendae. Neutrius porro oratio immunis exstitit a labe cadentis Latinitatis. Neuter hoc egit, ut eam comeret, ac munditie sua commendabilem amabilemque redderet.

Quae cum ita sint, neque alter altero praestabilior videatur, justum existimavit Philosophorum Ordo, ut qui virtutibus vitiisque inter se gemini essent, geminam quoque sortem nanciscerentur.

Quo circa nec ea Commissio, quae illa Heracliti apud Stobaeum sententia distinguitur: Κακοὶ μάρτυρες γίνονται ὀφθαλμοί κ. τ. λ.; neque vero illa altera, quae in limine positum habet illud Aristoteleum: Ἡ τοῦ ἐνέργεια κατ' αὐτὴν αἰδώς καὶ ἀρίστη ζωὴ, ἢ τοῦ Θεοῦ, nunc quidem praemio ornanda videtur. At vero laude haud mediocri afficienda utraque est. Est enim utraque bonae frugis plena, habetque haud pauca, quae magno argumento sunt, naviter operatum esse

utrumque scriptorem philosophiae studio, neque ingenio ad eam percipiendam non valuisse. Quibus virtutibus si ornatissimi Commilitones jungere volent Graecarum Latinarumque literarum assidua studia, speramus utique fore, ut ad verae eruditionis laudem possint contendere.

Nova vero in proximum annum a singulis Ordinibus proposita concertandi argumenta haec sunt:

Theologorum Ordo postulat:

ut doctrina de Coena Sacra primum exegetice, absque omni partium studio, tum vero dogmatice, secundum Lutherum, Zwinglium, Calvinum, Augustanam Confessionem, aliosque quoad ejus fieri poterit libros symbolicos exponatur, et secundum normam scripturae sacrae judicetur.

Jureconsultorum Ordo hanc quaestionem proponit:

Exponentur praecepta juris Germanici de vindicatione rerum mobilium.

Medicorum Ordo jubet:

Experimentis instituendis atque praesertim chemica analysi explorari, quatenus ciborum remediorumque substantiae et particulae e ventriculo vel canali intestinali actione vasorum lymphaticorum resorptae in ductu thoracico occurrant.

Ordo Philosophorum, cui Augustissimi Principis munificentia et Eorum, quibus Academiae salus curae cordique est, benevolentia duas quaestiones proponere commisit, Commilitones humanissimos ad certamen literarium bona cum spe subeundum invitat proponens:

1mo. *Illustretur Institutum Georgianum apud Januenses (St. Georgs-Bank in Genua), narrentur ejus fata, dispute-
tur, comparatione similium institutorum adhibita, de uti-
litate ejus, et quid nostrae liberae civitates inde sibi et
suis rebus commodi derivare forsitan possint, monstretur.*

2do. *Fiat judicium de Dionysio Halicarnasseo hactenus, ut intelligatur, utrum iis, quas ille in libris criti-
cis historiae scribendae leges tulit, in historia Romana,
quae Archaeologia vulgo dicitur, condenda usquequaque
ipse satisfecerit necne.*

Patet proinde spatiosissimus campus, Commilitones humanissimi, in quo vestra virtus excurrere possit. Et sicuti nos majorem praemiorum numerum munificentia Principis nostri vobis oblatum esse laetamur, ita Vos praemiis non defuturos esse speramus. Concurrите frequentes, persuasi, vos aequos speciminum vestrorum nacturos esse judices et qui libentissime quam plurimis impertituri sint decora palmae naviter decertando promeritae.

Quod reliquum est, vota pia suscipiamus pro LUDOVICO, Magno Duce nostro totaque Domo Augusta,

pro Viris Summis, qui rebus nostris eximia sapientia, liberalitate et benevolentia consulunt, pro incremento et splendore Academiae, pro incolumitate Urbis nostrae et Patriae universae.